



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 384. Quæ pœnæ sortilegorum, & quis Judex competens in hoc crimine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

cum D. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8. Cajet. du. 1. Archid. Host. & aliis Sanch. L. n. 58. Suar. Tom. 1. de relig. L. 2. de superstit. c. 12. n. 15. Toler. in sum. L. 4. c. 15. Delrio disq. mag. L. 4. c. 4. q. 1. Bonac. d. 3. de primo decal. præcepto. q. 5. p. 3. n. 12. Costrop. l. c. n. 8.

*Quest. 384. Que pœna Sortilegorum, & quis Juaex competens in hoc crimine?*

1. **R**esp. Ad primum primò: De Jure Canonico Sortilegi Laici, si admoniti non emendent, & servi vilēsque personæ verberibus & cruciatibus sunt afficiendi; si verò liberi & honestiores, ad perpetuos carceres detrudendi. *can. contra. 26. q. 5.* etiam excommunicandi, *can. admonent. caus. ead. q. 7.* possunt etiam ab Episcopo turpiter debonestati (hoc est, capillis antè & retrò incisis. *c. de benedictio. 32. q. 1.*) è Diocesi ejici, *can. Episcopi. 26. q. 5.* Sunt quoque Laici Sortilegi hoc jure *can. constituimus. 3. q. 5.* infames, & si Sortilegium admixtam hæresin habeat, ut si dæmonem invocent, colant, & quæ soli Deo competant, ei negent, puniuntur ut hæretici, quamvis autem Laici Sortilegi dictis pœnis coerceri possint per potestatem ecclesiasticam, in eos tamen exceptâ pœnâ excommunicationis, quando hæresis suspicio abest, ferè procedit curia sæcularis. Abb. in c. 1. h. t. n. 3. Sanch. L. 2. mor. c. 38. n. 92. Clarus §. hæresis. n. 25. & ab ea puniuntur quoque publicatione bonorum omnium, & si quidem rei etiam magicæ superstitionis, ultimo supplicio, etiam ignis. L. nullus. L. nemo. C. de maleficis, & Ordinari. Caroli V. si exercent tales superstitiones cum damno tertii; & si absque damno tertii, pœnâ arbitrariâ Judicis, puta, relegatione, carcere, vel et-

iam ultimo supplicio. Host. in sum. h. t. n. ult. Clericorum verò Sortilegorum pœna ordinaria secundum Canones in foro externo præter infamiam, quam *cit. c. constituimus.* incurrunt, est depositio ab officio & beneficio, & in monasterium ad agendam pœnitentiam detrusio. *can. non oportet. §. 2. seq. 26. q. 5.* Gl. fin. in c. 1. h. t. Abb. ibi. n. 2. Pirh. h. t. n. 17. dum autem in *can. admonent. 26. q. 7.* dicuntur degradandi, id intelligendum de degradatione verbali, hoc est, depositione à beneficio, & non de reali, ac propterea non tradendus curiæ sæculari, nisi fortè accesserit magia,

2. Resp. Ad secundum: Juaex competens criminis Sortilegij, qui de eo cognoscere, illudque punire potest, est Ecclesiasticus, nempe Episcopus, non tantum quò ad personas ecclesiasticas, sed etiam quò ad Laicos, ut constat ex c. 1. h. t. & *can. contra. 26. q. 5.* quia redundat in injuriam divinæ Majestatis, dum attribuitur creaturæ, quod est solius Creatoris, ut scire omnino occulta, & prædicere futura, estque jurisdicatio in Sortilegos & magos specialiter attributa Judicibus ecclesiasticis per Bullam Sixti V. 7. *cali & terra.* proinde dum Juaex ecclesiasticus Sortilegum & maleficum curiæ sæculari tradendum invenit, id cum facere possit sine ullo periculo irregularitatis, & sine obtenta speciali facultate Papæ jure ordinario per citata jura, ita tamen, ut priusquam Clericus curiæ sæculari tradatur, degradetur, ut Delrio disq. mag. L. 5. §. 16. de pœna & supplicio maleficorum. Ita Reiffenst. h. t. n. 19. Non tamen privativè Ecclesiasticus est competens Juaex hujus criminis, respectu Laicorum, sed quò ad eos est crimen mixti fori, ita, ut sit præventioni locus inter Juaicem Laicum & Ecclesiasticum. Abb. in c. 1. h. t. n. 2.

## TITULUS XXII.

### De Collusione detegenda.

*Quest. 385. Collusio quid sit, circa quas causas, & inter quos fiat?*

1. **R**esp. Ad primum: Collusio est latens & fraudulenta inter actorem & reum conventio, ut Gl. in c. *audivimus. h. t. v. collusione.* dum nimirum actor rei partes tacitè adjuvat, tacendo v. g. omitendo vel dissimulando veras probationes, falsasque defensiones & exceptiones admittendo, vel ab accusatione desistendo, ne reus puniatur. Arg. c. 1. §. fin. h. t. Vocaturque hæc collusio à civilistis prævaricatio & tergiversatio; prævaricatio quidem, dum accusator in judicio proprias probationes dissimulat, vel falsas rei exceptiones admittit. L. 1. §. L. ab Imperatore. ff. de prævaricat. & hæc dicitur propriè & strictè prævaricatio. Menoch. de arb. cas. 323. n. 13. Gilhauf. Arb. crim. c. 2. t. 31. n. 1. Lauterb. ad ff. ut. de prævar. §. 2. ubi & alias species prævaricationis minus strictè tales refert. Tergiversatio verò, quando accusator ab accusatione omnino desistit.

2. Resp. Ad secundum: Collusionem committi posse, tam in causis civilibus, quam criminalibus cum Hostiens. teneat aliqui, alii, cum Masc. de prob. concl. 322. n. 6. quem sequitur Reiffenst. h. t. n. 3. non nisi in causis criminalibus & benefi-

cialibus, juxta *cit. c. audivimus.* eam dari continent, & nequaquam in civilibus, nisi fortè sint matrimoniales, aut præjudicium tertii concernant; eò, quod in civilibus licita sit transactio, concordia, & amicitia litigantium, vel totalis desistentia à lite; cum in iis agatur tantum de privato interesse illorum; dum e contra in processu criminali agatur de bono communi exigente, ne delicta maneat impunita. c. ut fama de sent. excomm.

3. Resp. Ad tertium: Collusio committi potest, tam per Clericos, quam per Laicos, & quidem non tantum inter Principales, sed etiam per Advocatos & Procuratores, dum nimirum horum aliquis in præjudicium sui Principalis cum altero Principali vel Advocato illius colludit, manifestando ejus secreta, vel dissimulando, aut non refutando, vel probationes efficaces omitendo &c. nihilominus Advocati ita malè procedentes non tam collusores propriè, quam impropriè dicuntur, L. 1. ff. de prævaric. quamvis tamen etiam juxta eandem L. ratione talis impropriè dictæ collusionis subsint pœnæ extraordinariæ; secus est de Notario; hic enim ab utraque parte requiri potest, Lauterb. l. c. §. 2. citato Richter decis. 85. in fine. non tamen Notarius in eadem causa esse potest Procurator vel Solicitator. manual. notar. L. 1. p. m. 160.

*Quest.*